

tis vitatur. Majus incommodum timet Horvath ab attritu, effervescentia, ac tuborum præser-tim angustorum attractione, de qua modo verba faciemus.

339 Corol. 2. Si diversa fluida in eodem tubo aut vase cylindrico infundantur, omnes juxta gravitatis specificæ varietatem ad diversas altitudines collocabuntur: gravissima infimum, minus gravia medium, ac sic deinceps, levis-simo supremum locum tenente. Quod si omnia æquali pondere prius examinentur, densiora minorem altitudinem, leviora majorem affecta-bunt in reciproca densitatum ratione.

#### C A P U T Q U A R T U M .

##### *De tubis capillaribus.*

Obiter hic tuborum capillarium phænomenon exponere satius judicavi, quos aliam omnino sequi legem ab ea à crassioribus tubis servari solitam, experientia magistra docente, ani-madversum fuit. *Tubi capillares* illi audiunt, quorum interna diameter adeò exigua est, ut crines aut capilli crassiores esse solent, quorum conformatio in formam cylindricam, ob simili-tudinem cum tubis, nominis impositioni locum dedit. Neque tamen id exigit tuborum capillarium natura, ut ad exilitatem capillorum conformata sit ejus diameter; quum plerumquæ qui ad experimenta adhibentur, interna cavi-tate crines etiam pleniores superent; quin etiam num definitum sit, intra quam amplitudinem

*tubi capillaris* diameter comprehendatur. Ad duas lineas, aut etiam duas lineas cum dimidia extendi posse affirmat Brissonus. Imo neque fi-gura tubi circularis adeo necessaria est, ut si prismaticam, triangularem, conicam obtineat interna tubi capacitas, ejusmodi effectus non edat, quum spongiosa, ac imbibentia corpora ut lana, saccharum, sal, fibrillæ plantarum, aliaque, veluti tubi capillares habeantur, similiaque phænomena edant iis, quæ statim expo-nemus; quin figuræ adeo regulares sint, ac tu-bi ad tentamina adhiberi soliti.

340 Phænom. 1. Si in vas liquoris plenum tubus capillaris ab alterutro ex orificiis infunda-tur, fluidum supra libellam intra tubum assur-git, quod autem exterius circumdat tubum cum reliquo liquore ad libellam compositum perma-net. Ascensionis autem altitudo in aqua etiam ad 20 lineas solet observari. Neque refert, ad quam profunditatem tubus immergatur. Verum dum superioris orificii lumen hermeticè clau-sum est, liquor ferè nihil ascendit.

341 Phænom. 2. Quod si idem tubus in di-versos liquores immergatur, elevatio quædam obtinetur, varia tamen semper, quin densita-tum rationem sequatur. Nam spiritus vini aqua levior minus ipsa attollitur; hæc minus acido nitroso, hoc aqua salsa, quæ etiam minus acido sulphureo, aut oleo vitrioli in tubo assurgit, et hæc minus quam urina etc. Neque minus densa magis attolluntur præ densioribus, quippe urina specificè gravior est acido sulphureo, et oleo vitrioli. Unde à densitate majore aut minore

nullum adjumentum sperari potest ad singula-  
ris hujus phænomeni explicationem enodandam.

342 Phænom. 3. Quando tubi diversæ dia-  
metri ad experimentum adhibentur, altitudines  
supra libellam fluidi sunt in ratione inversa dia-  
metrorum; ita ut quò minor est diameter, ma-  
jor elevatio obtineatur. Quod ad altitudines tu-  
borum attinet, nihil conferre docent plures con-  
tra Muschembr. quem fortasse excrispsit Altie-  
rus, qui multus est in sustinendo, à majore  
vel minore altitudine tubi respondentem ele-  
vationem obtineri; nulla tamen constanti lege  
servata, ut in diametris fieri animadversum est.

343 Phænom. 4. Contrarium omnino eve-  
nire in mercurio, ac metallis fusis conspicitur,  
in mercurio præsertim, dum tubus capillaris  
injicitur, infra libellam pars fluidi intra tubum  
contenti deprimitur, atque eò magis, quò sub-  
tilior sit foramen seu interna capacitas tubi, ita  
ut rationem inversam diametrorum depressionis  
etiam affectare videatur. In tubo vero capillari  
ex stanno confecto ad libellam remansisse mer-  
curium, se observasse testatur Brissonus. Lu-  
denna etiam illud observatu dignissimum asse-  
rit, quod ipsa aqua ultra libellam non ascen-  
dat, si tubuli non ex vitro, sed ex cera aut  
alia materia construantur, quod alium obser-  
vasse reperio neminem.

344 Phænom. 5. Sit ubi communicantes sint,  
sed diversæ magnitudinis, ac inclinationis, uno  
aut pluribus ex ipsis in capillarem conformatis,  
ut RH (fig. 34); in A, Z, D liquor ad libellam  
CD conformatur, dum in R ex mad n attollitur,

eoque amplius juxta diversitatem liquorum mo-  
do indicatam. Hinc clarius evincitur in tubis  
capillaribus legem generalem æquilibrii fluido-  
rum non servari.

345 Varia est pro hominum ingenio ac par-  
tium studio hujusce phænomeni expositio. Alii  
enim ab aeris aut alterius fluidi diversa pressio-  
ne intra tubum, ac in aperta atmosphæra deri-  
vant, quum in tubo ob foraminis exitatatem,  
ac parietum internorum ejusdem angustias, aer  
aut materia subtilis non parum ab hoc impedi-  
mento detineantur, ne liberè in fluidum incum-  
bant; dum in aperto vasis superficie tota mo-  
le sua ruunt. Si hæc de aere atmosphærico vera  
essent, intra machinam pneumaticam aere ex-  
antlato hujusmodi pressione cessante effectus non  
sequeretur contra ac experientia nos docet. Quod  
ad materiam subtilem attinet, etiamsi intra Boy-  
leanam machinam vires suas exercere permitta-  
mus, alia sunt, quæ Cartesiani solvenda rema-  
nent, atque etiam contra pressionem aeris ob-  
jiciuntur. 1. Si ab inæqualitate præssionis, seu  
ut Ludenna vult, ab inæqualitate resistentia as-  
census proveniret, in tubo longiore, ubi major  
est resistentia internæ pressioni, major elevatio  
observaretur: quod evenire tentaminum physi-  
corum auctores se observasse negant, Muschembroekio excepto. 2. Liquores ascendere debe-  
rent in ratione inversa densitatum, contra ac  
phænom. 2. innuimus. 3. In mercurio elevatio  
etiam succedere deberet; quippe eadem resisten-  
tia supernæ pressioni objicitur à tubo. 4. Si,  
tubo extra fluidum retento, per partem tubi

externam gutta ejusdem fluidi descendere permittatur per totam ejusdem longitudinem, orificium internum attingens gutta, sursum versus agitur, perinde ac si fluido immergeretur.

346 Alii fluidum existimant ob viscositatem repere per internas tubi inæqualitates, quemadmodum per tabulata in modum plani inclinati disposita quidam ad supremas contignationes ascendunt. Et quidem dum tubi in liquorem fortius impinguntur, attritus ille contra internam superficiem, scabritie juvante, nonnihil posse ascensum juvare non inficiamus. Verum satis esse ad superficiem fluidi tubum applicare, ut contra naturam gravitatis ascendat, testimonio phisicorum acceperimus, ac etiam ex his, quæ modo num. 4. notavimus, horum opinio convellitur. Deinde olea, quæ tenaciora sunt, minus sua viscositate repunt, quam fluidiora alia liquida, ut phænom. 2. exposuimus.

347 Demum ne longitus abeam, Newtoni sectatores ad attractionem confugunt. Nam tubi materia, inquiunt, densior quam sit materia fluidi, illud potentius trahit ubi exigua illius quantitas se offert, à reliqua fluidi massa separata. Enimvero si hæc ita se habeant, attractio hujusmodi exerceri debet in ratione inversa massæ seu densitatis, scilicet quæ minus densa fortius, densiora remissius attrahentur. Deinde tuborum attractio proportionalis ipsorum massæ esse deberet: adeoque densiora præ minus densis fortius agerent, contra atque experientia demonstrat. Quod si tubi è materia minus densa, ac liquores sint, constructi forent,

ab ipsorum elementis fortius attracti infra libellam descenderent, quod pariter eventis non congruit. His rationibus oppresi attractionum defensores, ad peculiarem attractionem confugerunt, quam *affinitatem* solent vocare, è qua quidem lege si in natura rerum existere demonstraretur, non invitè contraria phænomena supra exposita conciliarentur. Verum dum melior lux physicæ non affulgeat, quæ affinitates hujusmodi in natura esse luculentius nos doceat; ignota ac incerta causa pro vera intruditur, quod est physicam pervertere. Unde satius duco me *Davum esse, non OEdipum* confiteri, qui ejusmodi ænigmata enodare præsumam.

348 Ceterum quæcumque talium phænomenorum sit causa, certum est, illam existere, ac ab ipsa originem ducere vegetationem plantarum, in quibus exigui canales, per quos succus nutricius ascendit, veluti totidem tubuli considerari possunt, qui alterna contractione, ac dilatatione ab interno terræ, externoque solis calore, frigoreque nocturno, aut venti frigidiusculi actione adjuti, succum nutricium ad sublimiores partes deferunt, aptèque distribuunt. Elevatio itidem vaporum per atmospharam, si Noleto fidem habemus, inter tuborum capillarium phænomena accensenda est. Quod etiam de liquoribus per spongias, panni ac telarum lacinias, saccharum, lapides porosos, materiasque omnes bibulas ascendentibus, dictum habe.